62396/B



John Lewis Petit Esq.r

MEDICAL SOCIETY
OF LONDON

WELLCOME HISTORICAL MEDICAL LIBRARY

ACCESSION NUMBER

PRESS MARK

DWIGHT, S.

XXI 2

Auctor
Dono dedit
Crom: Dr. Mortimer
Censori Col. Med.
Anno. 1731.

D E

Febribus Symptomaticis, &c.

Digitized by the Internet Archive
in 2019 with funding from
Wellcome Library

https://archive.org/details/b30517746

MEDICAL SOCIETY LONDON

DE

FEBRIBUS SYMPTOMATICIS:

SIVE

De Febribus iſtis, quæ ab aliis Affectibus Morbíſve, jam in aliquâ Corporis parte graſſantibus, oriuntur:

Deque Earum

CURATIONE.

AUTHORE

SAMUELE DWIGHT,

è Colleg. Regal. Medic. Londinenſ. M. D.

LONDINI:

Impenſis Bernardi Lintot, Bibliopolæ Londinenſis. M DCC XXXI.

Præclariſſimo Viro,

Hans Sloane Equiti Bar.

Colleg. Regal. Medicor. Londinenſ.

PRÆSIDI,

Eâ, quâ par eſt, obſervantiâ,

Samuel Dwight S. P. D. D.

LICEAT mihi, Vir Præclariſſime, hunc Libellum de Febribus Symptomaticis Tibi in manus tradere.

Hîc nulla Me, niſi mitia, Remedia in Hominum uſum præferre obſerves. Te quidem, quantùm potui,

potui, imitari conatus ſum. Nam ut Tu Humanitati ſemper operam dediſti, viæque inſtitiſti, quæ Ægris tutiſſima fuit; ità in hoc Opuſculo tua veſtigia ſequutus, nihil gravius, nihil crudele Ægrotantibus propoſui.

Tu ſummâ miſericordiâ utens, quotidie Pauperibus laborantibus auxilium affers. Nec minùs humanus benevolénſque es Divitibus, qui opem tuam petunt. Neutris enim acriora, neutris periculoſa Remedia unquam adhibes. Hinc longè latéque Nomen tuum ſparſum eſt.

Conſimilem quidem honorem mihi acquiſitum fore, neutiquàm expecto. Sin Benevolentiam atque Approbationem tuam adeptus fuero; neminem poſthàc arbitror (cùm Te hunc Tractatulum vultu benigno excipere, & ea, quæ in eo continentur,

malæ

malæ aliorum Praxi anteponere compertum fuerit;) Methodis uſurum eſſe periculoſæ plenis aleæ: ſed fore potiùs, ut ea, quæ commendavi, adhibeantur.

Sic Ego (quod mihi ſat honoris erit) Victoriam quandam de Temerariis omnibus videbor reportâſſe. Vale.

Dabam Fulhamiæ
13° Kal. Auguſt.
Ann. Dom. 1731.

DE

Febribus Symptomaticis.

PAUCA de Febribus in genere priùs, quàm Symptomaticas Febres curandi opus aggrediar, dicenda ſunt.

Adeò pleni Pororum ſumus, ut ſubtiles Aëris particulæ facillimè in corporum noſtrorum penitiſſimos receſſus irruere poſſint. Et licèt pleræque eæ ſanguini valdè prodeſſe ſoleant; (nam tum Inſpiratio, tum Reſpiratio Harum ope perficitur; nec ſine iis ullius Animalis vita in minimum temporis punctum ſubſtare poteſt) quædam tamen Aëris Corpuſcula, cùm in Sanguinem irrumpunt, vehementiùs eum & agitant, & excalefaciunt: præſertim ſi corrupte-

lam vel frigus, pluſquàm Natura ferre poſſit, ſecum afferant.

Vix cuiquam talis Aëris in Poros ſubitò irrumpentis ignota ſunt incommoda. Nihil enim frequentius fit, quàm ut homines nunc Tuſſibus, nunc Tumoribus, nunc Ecthymatis in cutem extruſis, nunc Doloribus, nunc Febribus (ſæpè horum omnium comitibus) afficiantur; cùm corruptus, vel immitis Aër in Rivum Sanguineum de improviſo irruit.

Non multùm refert, an æſtuantes homines frigidum quempiam Liquorem in Internos Stomachi, an Aërem in Externæ Cutis Poros frigidum fortuitò accipiant. Nam ex utroque frigoris genere crebræ ægrotationes evenire ſolent, ſi (ut modò dixi) Atomorum refrigerantium torrens in ſanguinem derepentè arripitur.

Haud ità quidem Sanguini vegeto unquam uſu venit. Robuſtus enim Sanguis, iſtarum & ejuſmodi Particularum vim facilè eludit, repellendo eas, quoties intrant. Sanguis tamen eò debilior, & Pori (in præſentia ſaltem) apertiores fieri ſolent, quò vehementiore vel motu vel exercitatione uſi ſumus. Cúmque vel hoc vel ullo alio modo noſtra corpora calefecimus, tum, Poris plurimùm patefactis,

factis, Frigori iter in Sanguinem haud difficile erit.

Rationes quidem Febrium Continuarum (quæ ſic appellantur, quia nullum ſæviendi tempus remittere videntur, quamdiù exiſtunt:) & Intermittentium, (quæ ità dicuntur, quòd ſpatia quædam inter Paroxyſmos Febriles dentur, Sanguiſque viciſſim ex turbido ad placidum ſtatum reverti ſoleat:) ità in obſcuro ponuntur, ut de talibus morbis philoſophari rem prorsùs difficilem exiſtimem. Obſervandum tamen eſt, tam has quam illas tum maximè crebreſcere, cùm Ver vel Autumnus adeſt. Nam in iſtis Anni temporibus Venti Calidas Regiones ex Frigidis, & Frigidas ex Calidis ſæpiſſimè mutant, transferuntque ſe huc illùc. Quod cùm ita ſit, ſine dubio ſubita hæc aëris mutatio ex Calido ad Frigidum, Febrium iſtarum Continuarum ac Intermittentium, quæ Vere & Autumno ubique ferè graſſantur, cauſa eſt.

Nec Hyems Æſtáſve (ſi fortè in illis temporibus Venti calidos frigidóſque Vapores certatim in nos ſpirent) valetudini Mortalium magis, quàm prædictæ tempeſtates, amica eſſe ſolet. Nobis enim alterâ horâ plus ſatis calefactis & alterâ nimis frigefactis, neceſſe eſt ſalutem noſtram

ſtram aliquantulùm inde periclitari. Quippe in iſtos meatus, qui ex vehemente calore paulò patentiores facti ſunt, facile eſt Frigori penetrare.

Calidus quidem Aër (modò moderatus ſit) naturali noſtro Calori congruus eſt: at Frigidus adeò incommodus, ut ſimul ac cum ſanguine noſtro intimiùs commiſcetur, nonnullas Sanguinis particulas afflatu quodam lethali ſtatim vitiet, imò enecet.

Multi gelu toti obtorpuerunt: plures ex vehementiâ frigoris, aliquibus membris ſpoliati ſunt: plurimi etiam, ex hujuſmodi hoſte in ſanguinem recepto, Febribus diris laboravêrunt.

Nec vivarum mortuarúmque particularum in eadem Maſsâ Sanguineâ miſtura, à ratione omninò abhorret. Nam ut alii Liquores (indicia corruptionis præ ſe ferentes) acidis & dulcibus & aliis inter ſe repugnantibus Particulis abundant; ità Sanguis frigore contaminatus, corpuſculis mortiferis & vitalibus ſcatere poteſt.

Prorsùs quidem incorruptis Particulis eas, quæ ſunt corruptæ, diſſipandi vel ejiciendi munus datum judico. Atqui luctâ inter utrumque Particularum genus inceptâ, in melius ceſſuram eam arbitror;

tror, ſi ſanguini laboranti nonnulla idoneà medicamina adhibeantur, ut poſthâc probabo.

Porrò homines fervidioribus Morbis correpti, per vices nunc infirmiores nunc valentiores videntur. Sed iſte vigoris reditus meliùs in iis, qui Intermittentibus, quàm qui Continuis Febribus laborant, percipi poteſt. Finitis enim Algoris & Ardoris Paroxyſmis, Ægri ſæpè adeò vigere ſolent, ut integrâ valetudine jam frui videantur.

Quanquàm verò Febris in aliquod tempus ità remittitur, ut penitùs diſſipari videatur; non abactis tamen omnibus particulis, quæ ſanguini turbam dedêrunt, Ebullitio æquè violenta, ac ultima fuerat, poſt paucas horas diéſve, ad certa etiam temporis puncta, ſtatáſque periodos, ægro reverti poteſt. Malæ enim Particulæ, poſt Paroxyſmum Febrilem, in ſanguine relictæ, alias ſuî ſimiles in maſsâ ſanguineâ fingendi poteſtatem habent. Bonæ etiam particulæ, ex eâdem maſsâ ſeſe augere queunt. Nunc tamen hoc Particularum genus, nunc illud, in laborante ſanguine plùs valere ſolet.

Corpuſculis quidem vitiatis ad parvulam copiam ex mutuâ luctâ redactis, Maſſa ſanguinea propterea multo, quàm priùs,

priùs, quietior redditur. Sín, renovatis auctíſve iſtis Malis particulis, ſanguis iterùm gravetur; neceſſe eſt Maſſam Sanguineam eas ejicere, quantùm poſſit, conari.

Interim obſervare licet ſanguinem, tam inter algendùm quam caleſcendum, celerrimo motu eſſe præditum. Adeò ut Paroxyſmus Febrilis, ex parte algoris & æſtûs ſimul ſit. Sanguis autem friget, ut modò docui, cùm mortuæ Particulæ vivis dominantur; &, vice versâ, fervet, cùm Corpuſcula vivida victoriam quandam de mortuis reportant.

Oſtendi qualem vim infrigidantes Particulæ habent, cùm in calefactos noſtros Poros repentè irruêrunt.

Nec minori facilitate Corruptæ atque Impuratæ Aëris Particulæ invadere nos ſolent. Nam æquè imperceptibiles ſubtileſque ſunt, ac illæ alteræ. Nec iſta cadaverum aliarúmque rerum corruptarum Corpuſcula Poros ſubeuntia, minùs ſanguinem lædunt, quàm ea, de quibus modò egi. Etenim non pauci homines, propter hujuſmodi corpuſcula in Poros copioſè recepta, non modò ſubitam lipothymiam in præſens, ſed diuturniores aliquando morbos perpeſſi ſunt.

Pori

Pori quidem omnium Animalium Syſtole ac Diaſtole præditi, emittunt recipiúntque quicquid ſatis exile ad intrandum aut exeundum iis offertur. Licèt verò hominum ſanorum exudati vapores omninò innocui reputentur, certum tamen eſt, plurima incommoda ex inſanorum vaporibus oriri. Hujus rei teſtes ſint homines Lue Venereâ, vel Scabie, vel Peſte, aliiſve Febribus infecti. Nonne enim plerumque hi ab aliis Ægrotantibus morbos ſuos accipiunt? præcipuè iſti, qui lectis vel cubiculis Ægrorum ſæpiùs aſtant? Sanè talibus locis magna ſemper malorum halituum copia ineſt. Conſtátque omnes hujuſmodi particulas, quemcunque ſanguinem intrent, inquinantem vim ſecum importare. Eæ autem nocentiſſimæ ſunt, quæ prorsùs ab hominibus Febrientibus emanant. Etenim homines Febribus laborantes, propter calorem enormem, quo flagrant, vehementiùs quam ulli alii, morboſos Vapores è poris ſuis exhalant. Atque hæc cauſa eſt, cur Febres citiùs, quàm cæteros Morbos, ab alteris ad alteros ferri contingat.

Generoſi cujuſdam Filiola nonos annos nata, Febre violentâ, cum maculis maximè purpureis externæ Cuti inter-

ſperſis (quarum quædam parvulæ, quædam latiores extiterant) periculosè laborabat. Dum autem hæc ægrotabat, Nutrix in eodem lecto cum eâ concumbere voluit. Et licèt Nutrici ſæpiùs conſuluiſſem lectum contaminatum relinquere; nihil tamen mihi obtemperavit. Itaque ea citò conſimili Febre arſit. Puella quidem, adhibitis remediis, ſalutem admodùm recuperavit. Sed intrà paucos dies Morbus ei renovatus eſt; quod in lecto, in quo ægra Nutrix jacebat, contra ſententiam conſiliúmque meum, adhuc decubuiſſet. In diſtinctos tandem amotæ ſunt lectos; mediciníſque felicitèr exhibitis, poſteà ambæ revaluêrunt. Quod tamen fieri non potuiſſet, ſi ſe invicem diutiùs inquinare permiſſum fuiſſet.

Multa alia exempla eorum, qui, propter nimium cum febricitantibus conſortium, in periculoſas Febres incidêrunt, proferre poſſem, ſi opus eſſet. Sed plura ſupervacanea ſunt; cùm ex hoc unico Exemplo id, quod volui, luculentiſſimè probaverim.

Altera cauſa Febrium eſt Voracitas. Nam cibo potúque impendiò in ventriculum ingeſtis, híſque frequentèr repetitis, neceſſe eſt ut copioſior Chylus indè factus, moleſtiam quandam ſanguini creet.

creet. Sæpenumerò quidem ſanguis, ſuperfluo Chylo agitatus, paulo intervallo ad ſolitum vigorem redit. Nihilominùs Crapulæ ſuprà modum repetitæ, aliquandò perſeverantiores Febres excitant. Et has ſanè curare difficile eſt: eò quòd ſanguis, ex hoc nimio cibo potúque, vel acritudine vel lentore vel craſſitie vel aliquâ aliâ malâ habitudine affici ſoleat.

Diſquiſitio quidem hæc de cauſis Febrium, quam tradidi, utilis eſſe poteſt iis, qui nondum Febribus capti, cautelâ fugiendi ea, quæ dixi præcipuas eſſe cauſas intemperiei ſanguinis, temporì utuntur. Sed Febre jam ortâ, certè in ejus originem inquiſitio prorsùs inanis videtur; niſi aliquod Symptoma, quale eſt Apoſtema, vel profuſa Hæmorrhagia ob imbecillitatem Arteriarum in quâvis corporis parte orta, vel vulnus, ulcúſve ejus cauſa ſit. Conſulendum eſt tum quidem, quomodo iſtud Symptoma, quod Febrem excitat, tolli poſſit. Sed nihil attinet medicum inquirere, unde aliæ oriuntur Febres. Namque rerum Supremus Author talia myſteria à nobis occuluit: nec exquitiſſimus Naturæ Indagator unquam pernoſcere poteſt, cur ſanguis ex placido ſtatu in turbidum erumpat, imò cur mo-

veatur omninò, cúrve à bonâ in malam Craſin mutetur.

Porrò per hujuſmodi ſcientiam, ſi obtineri poſſet, nemo ad ſalutem quenquam Ægrotum meliùs reducere poteſt. Nam ſi inventa ſit cauſa cujuſvis Morbi; Medicus tamen nequit inde doceri, qualia Symptomata Ægroto affutura ſunt; vel inſtrui, in quâ potiſſimum viâ pergat opus eſt, ut variis ejus Symptomatibus occurrat. Talis igitur Cognitio vix ullius usûs eſt.

Sed Scientia Medicinarum, quæ Ægris proſint, & methodus rectè eas adhibendi, cunctis, qui Medendi artem exercent, ſunt utiliſſima. Et ſanè Is, qui benè ſcit pharmaca ad adverſam cujuſvis valetudinem, applicare; majore laude dignus eſt, quàm ille, qui ſcrutandis Morborum Cauſis maximam operam navat.

Quod attinet ad rationem commodam Hominibus, qui Febribus Symptomaticis capiuntur, medendi; eam (curationis enim methodum, ſi qua bona inveniri poteſt, plus à Medentibus, quàm vanam iſtam de generatione Morborum philoſophandi conſuetudinem, colendam eſſe judico) quantùm in me eſt, mox exhibebo.

Maſſa

Maſſa ſanguinea Febre excandeſcens, ſæpenumerò ſe onere & ardore per quaſdam levat Eruptiones: Quales ſunt Variolæ, Morbilli, Maculæ Eryſipelatoſæ, & alia rubra purpureáque Ecthymata in extimam Cutem extruſa. De Variolis & Morbillis quondam ſpeciatim ſcripſi: Nec aliorum Ecthymatum curandorum, cùm occaſio ſe offeret, immemor ero.

In præſens, operæ pretium eſſe exiſtimo docere, quibus modis demiſſæ Maculæ reſuſcitari, iteratáque Febris fugari poſſit.

Ei quidem, qui prædictis, neque aliis præterea, ſymptomatis gravatur, ſudans Medicamen exhibendum eſt quamprimùm. Nec homini ſic laboranti effuſius vehementiúſve ſemper Sudatorium utile eſt: ſæpiſſimè enim moderata hujuſmodi Remedii doſis, ſufficere ſolet.

Sanè, Sudorifico Ægrotanti tempeſtivè adhibito, ejuſmodi Febris ſæpè in fugam derepentè verſa eſt. Poſt modicum autem Sudorem excitatum, expedit Antifebritica, Diaphoreticis commixta, Ægro exhibere: ut Sanguinis fervor ulterius compeſcatur, Ecthymata uberiùs diſtendantur, atque corruptæ Particulæ pedetentim foràs in auras evehantur, uſque dum omnes conſumptæ fuerint.

Diaphoretica, quibus felici cum exitu uti ſolitus ſum, ſunt ſequentia: ſcilicet,

℞ *Aq. Theriac. Aq. Cinnam.* āā ℥j. *Aq. Menth. ſimpl.* ℥iv. *Sp. C. C. gut. xxx. Syr. Croc.* ℥ij. *F. hauſtus calidiſſimè ſumend.*

℞ *Tinct. Serpent. Virgin.* ℥ij. *Pulv. è Chelis Cancror. gr. x. Aq. Menth.* ℥iv. *Syr. heder. terr.* ℥iſs. *F. Hauſtus calidiſſimè ſumend.*

℞ *Croc. Angl. pulv.* ʒſs. *Aq. Theriac. vel Cinnam. compoſ.* ℥iſs. *Aq. Puleg. ſimpl.* ℥iv. *vel* ℥v. *Syr. Caryophyll. q. s. F. Hauſtus calidiſſimè ſumend.*

In Pauperum Uſum.

℞ *Zinzib. rad. contuſ.* ʒij. *Caryophyll. N°. xij. Aq. Font.* ℔ſs. *Vin. Rubr.* ℥ij. *Sacch. q. s. F. Hauſtus calidiſſimè ſumend.*

Ex Roremarino, Lavendulâ, Hyſſopo, & aliis benè multis fieri poſſunt Diaphoretica in favorem Pauperum. Sed tacebo alia: quippe quòd hæc, quæ commemoravi, ſufficere arbitrer.

Interim hæc cautio iis, qui ſudantibus invigilant, præcipi eſt digniſſima: nempe ut pauca ſtragulorum, quibus Ægri cooperiuntur, tempeſtivè detrahere meminerint; nè virium ſuccorúmque plus, quàm commodum eſt, illis deperdatur.

Attamen non ſemper, cùm palleſcunt atque flacceſcunt Ecthymata, convenit Diaphoreticis præ aliis medicinis uti. Febres enim, quæ ſine Variolis eveniunt, æquè ac eæ, quas Variolæ comitantur, interdum aliam de novo Nauſeam (poſtquàm in aliquod tempus ſanguis deſerbuiſſe videtur) Ægrotantibus afferre ſolent. Non omnibus quidem hoc uſu venit: Sed ſi in ultimis cujuſvis Febris diebus talis Vomituritio, qualis in initio Morbi ſæviebat, ad Ægrum revertit; tum haud poſſum animum inducere, quin eidem iterùm Vomentes Medicinæ adhiberi debeant; licèt anteà (in primis fortaſſe Febris diebus) hujuſmodi pharmaca ei adhibita fuerint.

Fruſtrà quæris ea, quæ evanuêrunt, Ecthymata ad priſtinas ſedes per quodvis Diaphoreticum revocare; quamdiu ſtomachus viſcido phlegmate repletus permanet. Proculdubiò Sudatorium Medicamen, coactum corporis ſuperficiem verſùs tardiſſimè ire (propter phlegma, quo involvi-

involvitur) Naturæ in extrudendis Puſtulis parùm opitulabitur. Quiſquámne enim cogitet Particulas Sudantes copiosè ac celeritèr poſſe per Chylifera Vaſa, per Sanguinem, pérque Poros Cuticulares migrare; dum pituitâ, tanquam reti, plurimâ obvolvuntur?

Profectò neceſſe eſt viam, per quam mittenda eſt Medicina Diaphoretica, ab omni ſuperiorum inferiorúmque Viſcerum (quantùm fieri poteſt) obturamento liberam eſſe. Si hoc factum fuerit; tum veriſimile eſt corpuſcula Diaphoretica copioſiſſimè eò, quò volumus, convecta fore. Alioqui moras nectentia in ſtomacho atque Inteſtinis (ut anteà edixi) ſudori excitando omninò imparia erunt: quòd ſolùm pauca eorum cum tenuibus ſuccis, pleraque verò cum ſpiſſis Inteſtinorum fæcibus ità immiſceantur, ut deinceps ſanguineos ductus eâ, quâ opus eſt, rapiditate ſubire minimè valeant.

Cùm ità res ſe habeat, ut Puſtulæ ſubſidant, & Nauſea adſit; prorsùs imprudentis foret, à Vomitorio homini adeò ægrotanti exhibendo abſtinere. In hoc quidem caſu, interdum vehementiore aliquo Emetico ad pituitam eliminandam opus eſt. Sin Æger tantâ debilitate eſt, ut vomitorium potens ei haud conveniat;

 tum

tum nullâ aliâ re, præter Aquam tepidam, aut ejuſmodi mite Sorbillum (ad ventrem gravem levandum) utendum eſſe arbitror.

Ejecto phlegmate, expedit (elapsâ unâ vel alterâ horâ) Diaphoreticum aliquod Ægrotanti adhibere. Quanquàm enim vomitio ipſa aliquantulùm ad Poros aperiendos, & Puſtulas reſuſcitandas conferat; tamen utrumque meliùs effectum dabitur, ſi Sudatio modica peractam vomitionem paulò pòſt ſubſequatur.

Haud abs re erit narrare, quomodo olim Puerum, (neutiquàm nauſeâ gravem, attamen cui Alvus quodammodo ſoluta erat, dum Variolis laborabat) è faucibus Orci felicitèr eripuerim. Septimo Morbi die, univerſa ei membra detumuerant, Puſtulæque omnes ceciderant: Febris prætereà dirum in modum erat renovata. Protinùs aſtringens Diaphoreticum ei adhiberi juſſi: Puérque hoc pacto copiosè ſudans, tantam in molem crevit, ut veſperi ejuſdem diei, Facies, Caput & Brachia duplo majora, quàm erant manè, viderentur. Puſtulæ etiam ſufficiente ſucco refertæ erant. Nihilominùs poſteà neceſſe judicavi, ut Aſtringentia Diaphoretica & Antifebritica continuarentur, uſque dum ad maturitatem

ſummam

ſummam perducta eſſent Ecthymata. Sic is, qui propter occaſum Puſtularum in ſummum vitæ diſcrimen adductus fuerat, è Febre Mortéque propinquâ denuò evaſit.

In conſimilem modum duco omnes, qui (ſine Nauſeâ) Dejectionibus quotidianis, inter cadendas Puſtulas, affliguntur, tractari debere. Hominibus verò occaſu Puſtularum ſimul cum difficultate ſpirandi, attrictione alvi & nauſeâ affectis, (etſi hæc in ultimis forſan Morbi diebus accidant) vomitorium priùs, quàm Diaphoreticum, ſine morâ adhibendum eſſe arbitror. Rationes hujuſce Praxeos anteà palàm protuli; adeò ut hiſce alias novas addere non opus ſit; cùm ſatis docuerim, ſtomachicæ Pituitæ magnam copiam Diaphoreticorum operam valdè impedire.

Porrò difficile eſt iis etiam Medicinis, quæ Ventriculo (vel ad corrigendum Sanguinem, vel ad enormes ejus motus reprimendos) committuntur, Sanguineam Maſſam penetrare; dum talis materia ſtomacho adhæret. Idcircò utile eſt Pituitam iſtam è Stomacho ejicere, quandocunque adeſt: non ſolùm ut ea, quæ Sudori excitando, ſed quæ Sanguini emendando, deſtinantur, meliùs procedant.

Multos

Multos à morte ſervavi (cùm Febris, Vomitio, & alia gravia Symptomata propter evanidas Puſtulas reverterentur) Vomitorio, deinde Diaphoretico tempeſtivè exhibendo. Sæpe Febris (ſecunda vocata Variolarum) ſic fugata eſt. Sic novus ardor, ex Morbillorum atque aliorum parvulorum Ecthymatum occaſu accidens, ſæpenumerò ſublatus eſt.

Quando autem neque Pharmacum neque Sorbillum ullum in Ægrotantis Stomachum ingeri poteſt; (nam aliquando Adulti, ſæpiùs verò Pueruli hæc, utcunque proficua videantur, deglutire recuſant) operæ pretium eſt ciere vomitum per Plumam in os imum immiſſam, circúmque guttur ſæpiuſculè rotatam: Etenim hoc pacto Ægrorum ſtomachi multâ ſaburrâ (quamvis non tam abundanter nec efficaciter hâc quàm illâ viâ) levari poſſunt. Hujuſmodi tamen Praxis iis, quorum animus à Pharmacis maximè abhorret, quíque nullo alio modo à phlegmate liberari queunt, utilis eſt.

Ut verò Puſtulæ plenè confici poſſint, non abs re erit madorem pluſculum, adhibendo plures expellentes Medicinas (adjectis inſuper nonnullis Antifebriticis) Corpori acquirere.

In hunc finem Apozemata, Boli, Pulveres & Julapia formari poſſunt.

Apozemata, quæ in his caſibus probo, componi poſſunt ex hiſce Medicinis: Nempe Serpent. Virgin. Hyſop. Contrayerv. rad. Angelic. rad. Croc. Angl. Ariſtoloch. rad. Eryng. rad. & ſimilibus Sudorificis; éxque Centaur. min. Gentian. rad. Chamæmel. fl. Abſinth. Rom. fol. Salv. Agreſt. fol. Chinchin. cort. ſimilibúſve Febrifugis.

Boli fieri poſſunt ex Pulveribus ſequentibus; ſcilicèt Corall. rubr. Cancr. ocul. Cort. Peruv. Margarit. Antimon. Diaph. Serpent. Virgin. Pulv. è Chel. Cancr. & ſimilibus commixtis cum aliquâ Confectione commodâ, vel cum Syrupo ſolo in hunc modum.

℞ *Oc. Cancr. gr. x. Croc. Angl. gr. xij. Syr. caryophill. q. s. F. Bolus.* Repetatur ter quatérve in die.

℞ *Cort. Peruv. gr. xx. Theriac. Androm.* ℈*j. Syr. è fl. Pæon. q. ſ. F. Bolus.* Repetatur ter quatérve in die.

Julapia, quæ cum his vel hujuſmodi Bolis ſumi debent, fieri poſſunt ad exemplar ſequentium.

℞ *Aq. Theriac.* ℥ij. *Aq. Menth.* ℥iv. *Syr. Hyſop. vel caryophyll.* ℥iſs. *F. Julap.* Doſis cochl. iij. vel iv.

℞ *Aq. Lact. Alexiter.* ℥ij. *Aq. Puleg. ſimpl.* ℥iv. *Syr. Croc.* ℥ij. *F. Julap.* Doſis cochl. iij. vel iv.

Item Pulverum prædictorum moderata copia injici poteſt in Julapia, ſimúlque cum iis imbibi uſque ad cochl. iij. vel iv. ſæpè in die.

Notandum eſt nihilominùs Apozemata, & Julapia magis utilia fore Ægrotantibus; ſi calidè cum Bolis vel Pulveribus bibantur, quoties occaſio poſtulat. Etenim Liquores (præcipuè iſtiuſmodi, qui ſudorificis Pharmacis magnoperè ſcatent) ſic ſumpti, meliùs ſudorem ciere, vehementiúſque expellere Ecthymata flacceſcentia ſolent, quàm Diaphoretica iſta, quæ calore vacant.

Quinimò, præter eas Febres, quæ ob Cuticulares Puſtulas reverſas eveniunt, aliæ ſunt, quæ non ex humore ullo intùs in ſanguinem abrepto (quod prædictis Ægrotantibus nonnunquam accidere dixi) ſed ex humoribus dolorificis in aliquod membrum Corporis cumulatè protruſis, oriuntur.

In paucis, iſti omnes Tumores (quomodocunque nominantur) qui ſummo dolore homines afficere ſolent, ſæpiſſimè valdè furentis flagrantíſque Sanguinis causa sunt. Quibuſcunque autem Membris humores moleſti fuerint; perutile certè erit vel per Emplaſtra Diſcutientia, vel Cataplaſmata (integrâ Cute) conſumere; vel Sanguiſugarum aut Cultelli aut Veſicatorii ope, eos è Cute paululùm diſruptâ emittere. Cùm enim Emplaſtrorum, Cataplaſmatum, Sanguiſugarúmve auxilio mollita vel aperta eſt Cutis; neceſſe eſt Humores citiùs ex eâ diſcedant. Quia Cutis laxioribus atque patentioribus hinc Poris prædita eſſe ſolet.

Hirudinum quidem mos eſt (ſi affiguntur, ubi Humores corrupti ſcatent) tam eos, quàm Sanguinem ſanum, exhaurire. Nam Sanguis & Humores, infrà ripas eaſdem labentes, mutuò uſque commiſcentur; nec alter ſine alteris ſe quoquàm movere ſolet. Adeò ut, cùm portio Succorum ex Apoſtemate hauſta eſt, (Hirudinum vel cujuſvis Remedii, quod Cutis diſrumpendæ vi præditum eſt, operâ) rariſſimè tanta adſit ei durities, quanta priùs in eo inerat. Sanè Hirudinum ſuctu ſæpè fervorem Membri inflammati, ſæpè prætumidorum Artuum molem diminutam novi. Nec

Nec minùs utiles ſunt Scarificationes Inciſionéſve iſtæ breves, quæ in cute inflammatâ Scalpello non profundè perficiuntur: præſertim, ſi hoc ſit Tumori primulùm rubeſcenti, antequàm Pure multo turget.

Sin purulenta colluvies adeò Cuti ſuccrevit, ut Caverna ſatis ampla ſub eam fingi videatur; tum utiliſſimum erit, auctum Pus, incidendo altè Cutem Carnémque, foràs emittere.

Obitèr notatu dignum eſt, aliquando Pus ad intimiores Membrorum partes, profundè ſubter Cutem, ſe recipere. Cúmque ſit corruptionis particeps; haud dubium eſt, quin (ni occurras) locis, quos diutiùs occupaverit, fatalem labem inferat. Nam ſæpè ex ejus vitio & marcore ſolidiſſimæ Fibræ (tam Oſſium, quàm quarumvis aliarum Partium) ſi quidem inſederit iis diuturniùs, periculosè corruptæ fuêrunt.

Cùm verò conſuetudo ſit hujuſmodi Succi vel corrumpere, vel vitâ orbare, vel (ut vulgò dicitur) mortificare eas partes, quas diù tenuit; (unde univerſa ſæpè Mors in totum corpus obrepere ſolet) mihi quidem nulla ſuppetit ratio, cur ab Inciſione Tumoris, donec flavo ſit capite, abſtineatur. Nam ſi hoc expectes;

Pus morando intùs totam Fabricam Fibroſam, in quam ſe inſinuavit, corrumpere poterit; ut ſuprà dixi. Igitur Apoſtema, ſimul ac ſatis turgidum videtur, medullitùs diſcindendum eſt; quamvìs nec flavedine, nec rubore multo ſplendeat: Idque; nè ſolidæ Partes, ob ſuccorum putredinem, prorsùs inſanabiles evadant.

Fieri quidem poteſt, ut Externa Remedia Emplaſtrorum, Cataplaſmatum, ſimiliúmque, Tumorem nunquam diſrumpere poſſint. Nam aliquando Natura præpoſterè Pus deorſùm in Membra tumida convehit, cùm ſurſùm efferri melius eſſet. A tali tamen errore, incisâ ad profundum Carne, facillimè abſtrahi poteſt. Cùm enim nova datur via, per quam Pus elabatur; veriſimile eſt Naturam curſum veterem deſerturam, & pro deferendo impurato Succo ad inferiores, protinùs eum ad ſuperiores partes Apoſtematis ejecturam eſſe.

Reverà omnes aliæ (præter hanc) methodi eliciendi Puris è tumente membro, incertiſſimi ſunt eventûs: ac ſi tentantur aliæ; intereà tamen accidere poteſt, ut univerſa compages Membri, quod Tumore affligitur, nativo robore ſpolietur, ob mordacitatem aciditatémque materiæ,

quæ

quæ diutiùs, quàm oportuit, intrà Carnem profundam recondita eſt. Sed Culter Chirurgicus in tumidam Carnem altiſſimè immiſſus, non ſolùm iſti Puri, quod adeſt, ſed ei etiam, quod in poſterum ſuccreſcat, facilem citúmque diſceſſum conciliare poteſt. Atque haud ſcio, an Pus ſeriùs non ſit emiſſum, ſi ei permittatur in copiam magnam accreſcere priùs, quàm Scalpelli ope eliminetur. Igitur quò citiùs hoc perficitur, eò melius erit. Nam ſatius eſt eam partem Corporis, quæ ob malorum Succorum copiam prægrandior evaſit, medullitùs incidi; quàm per corruptum Pus eò importatum (nullâ datâ portâ, è quâ talis Hoſtis ejici poſſit) pedetentim contaminari.

Nonnulli quidem (neſcio quo judicio) prænunciare ſolent Apoſtema (ſi diſcinditur, antequàm Pure adimpletur) ad majorem quàm priùs corruptionem proclive eſſe, propter malorum humorum eò confluentium copiam: Tanquam iſti, quibus pateſit via foràs exeundi, multò nocentiores ſint, quàm ii humores, quibus permiſſum eſt diù in tumore verſari. Certè inflammationes gangrænæque Tumoribus, in quos Chirurgicus Cultellus aut nunquam, aut ſeriùs ſaltem quàm opus eſt, intravit, ſæpiùs quàm iis, qui

ſciſſuræ

ſciſſuræ cruciatum paſſi ſunt (etiamſi in primulo eorum ortu hoc fortè peragatur) obtingere ſolent. Quoniam Pus eò magis corrumpitur, quò diutiùs in Carne cohibetur, ut dixi anteà.

Vel Podagra, Morbus eradicatu (ut putatur) omnium difficillimus, diminui ſaltem, ſi non penitùs tolli, antedictis modis poteſt: obſervatâ interim cautelâ adhibendi Podagricis nunc Cathartica, nunc Sudorifica atque Alterantia Medicamina Interna; nec non iſta Externa, quæ poteſtatem habent emolliendi diſſipandique Tumores.

In pedibus cujuſdam Podagrici Lapilli multi cretacei formati erant ex corruptis Humoribus, qui eò copioſè defluxerant. Hinc vehemens Febris Ægrum cruciabat. Nec illius Sanguis ope medicamentorum ullorum, quæ Stomacho Anóve adhibita ſunt, omninò deferbuit; donec Emplaſtrorum, Cataplaſmatum, Inciſionúmque auxilio, Lapilli acréſque humores non pauci è pedibus dimiſſi eſſent. Poſteà Febris facilè ceſſit medicamentis Internis. Iſque in aliquod tempus meliore ſalute frui viſus eſt. At at, tandem, clauſis foraminibus, è quibus Lapilli cum acutis humoribus olim exierant, hiſque de novo Carni ſubcreſcentibus, Podagra nec

non

non & Febris reverſa eſt. Igitur Externa atque Interna Remedia in uſum ſecundò vocata ſunt. Cúmque duo iſti Morbi iterùm expugnati fuiſſent; in poſterum prædictus Vir vitam non adeò, ac priùs, moleſtam egit; quamvìs ætate nonnihil jam provectus eſſet.

Extat aliud Symptomaticæ Febris exemplum in Adoleſcente quodam Lue Venereâ infecto. Gonorrhæalis humor in intimos ejus Teſticulos (Empirici cujuſdam culpâ) irruerat. Tumor inde ingens & dolorificus evenit: Angorque Tumoris Febrem violentam excitavit. Protinùs Chirurgum, qui me advocaverat, hirudines afferre, eáſque Scroto quam primùm adhibere juſſi. Hæ quidem, ſanguine exugendo, inflammationem plurimùm minuêrunt. Deinde Scroto adhibita ſunt Diſcutientia Cataplaſmata. Híſque duabus rebus terrificus Tumor citò decrevit. Poſt hæc, ad curandam Febrem protinùs me accinxi. Sed hanc fruſtrà ſuſcepiſſem, ſi Scroti dolores diminuere neglexiſſem: Namque iſti dolores cauſæ fuêrunt Febris. Idcircò Teſticulis levandis apprimè conſului.

Nulla quidem pars corporis non obnoxia eſt Tumoribus Doloribúſque, quando Sanguis malis acribúſque Humoribus

abundat. Nam Facies, Brachia, Femora & alia Externa, imò & Interna Membra, hujuſmodi humores facillimè recipere poſſunt. Ac ſi ſuſpicio ſit Hos (quocunque loco acervantur) cauſas eſſe Febrium, protinùs opera danda eſt iis abigendis; nè Febris, quæ propter eos evenit, magis magíſque in dies creſcat. Namque alteri nihil opis ferri poteſt, ſi alteris nullum levamen afferatur; ut probatum eſt ſuprà.

Nec ſanè Pulmonum, Jecoris, & aliorum membrorum Internorum Apoſtemata ac Dolores, minores Febres in Sanguine efficiunt, quàm iſti graves Dolores, qui partibus Externis nonnunquam accidunt. An quiſquam verò (cùm compertum eſt, ſanguinem & viſcera ſimul laborare) adeò imprudentèr in arte ſuâ ſe geret, ut multam curam in ſanguine compeſcendo, in illis medendis nullam adhibeat? Profectò Pulmonum, Jecoris, Inteſtinorum Renúmque Morbi (vel ſiquæ aliæ Internæ Partes laborent) allevari debent priùs, quàm expectare poſſis, ut Febres inde prognatæ è ſanguine eximantur. Sanguine igitur, propter viſcerum vitia, majorem in modum fervente; optimè feceris, ſi primam curam iſtis levandis, ſecundamque ſanguini moderando, ſedulò impenderis. Porrò

Porrò in dubium vocandum eſt, an ullæ Febres Symptomaticæ nocentiores ſint, quam iſtæ, quæ Venenis exoriuntur. Alia quidem eorum, ſanguinem per Poros Cuticulares intrantia, ſtatim Febrem cient. At alia ibi aliquot dies morari ſolent, priuſquam vis eorum gravis & periculoſa palàm erumpere poſſit. Prioris generis ſunt Succi vel Salivæ Viperarum, Scorpionum, & aliorum Animalium, quæ ab initio nata ſunt veneſica: Poſterioris verò ſunt, ſalivæ, vel alii ſucci, imò & Halitus Canum, Felium, Hominum, & aliorum Animalium, quibus Inſania ſua venenandi vim dat.

Animalia, quæ naturâ venenantia ſunt, citò tumefaciunt Artus, quos mordent: tardiùs autem ea, quæ caſu aliquo adiguntur in Inſaniam veneniferam. Ratio diſparis eventûs nulla reddi poteſt, niſi hanc diſcrepantiam omninò Naturæ placito & luſui tribuere volumus. Obſervandum tamen eſt, morſa membra (à quocunque veneſico mordentur) ſeriùs aut citiùs turgere, propter humores eò immiſſos; (ſanguis enim plurimos ſuccos in infectos artus, ut ii hoſtem tabificum, quantùm poſſint, diluant abigantque, impellere ſolet:) præſertim, ſi nihil Remedii ſanantis in præſentia venenato vul-

 neri,

neri, nihil Sanguini inquinato adhibitum ſit. Sed bona medicamina partibus interioribus & exterioribus rectè applicata, aliquando & Tumorem & Febrem præcîdunt. Quam ob cauſam, quò citiùs utriuſque generis Medicamina cuiquam, qui Veneno infectus eſt, adhibueris; eò meliùs illi conſulueris.

Febris, quæ Morſum tabificum ſubſequitur, partim efformatur ex Dolore; qui, ut ſocius, Tumorem omnem calidum uſque comitatur. Atqui Succus vel Saliva tabifica ſanguinem inquinans, præcipua cauſa eſt Fervoris atque Ebullitionis ſanguineæ. Nam licèt pauciſſimæ tantùm Succorum Venenantium Particulæ ſanguinem ſubeant principio; tantarum tamen ſunt virium, ut proximas (quas attingunt) Particulas, eæque alias, contaminent; donec ſanguis universâ ferè tabe inficitur. Mox puræ impuratæque Particulæ pugnando impenſiùs caleſcunt. Atque hoc mutuum certamen inter bonas praváſque ſanguinis Particulas, eſt, quod uſitatè Febris appellatur.

Quod attinet ad venenantium Animalium Salivam, nemo dubitat, quin minima pars ejus (vulnere abſorpta) Maſſam Sanguineam inquinare poſſit. Compertum enim eſt talem Salivam, in ſanguinem

nem infuſam, Inſaniæ, Febríſque cauſam ſæpenumerò eſſe. Nonnulli autem adacti ſunt in Inſaniam, recipiendis Inſanientium Halitibus in Poros ſuos. Idque paucis Exemplis confeſtim à me probabitur.

Agricola quidam Cani Rabido occurrens, eum prehendit, dejecit, ſuffocavit; nullum intereà Morſum ab eo paſſus. Attamen Halitus quoſdam tetros è moribundi Canis pectore emanantes, in os fortè recepit; utriuſque faucibus inter luctandum ſibi invicem oppoſitis. Nemo pugnæ teſtis, cogitavit Hominem poſſe lædi Exhalationibus paucis è furiati Canis ore erumpentibus. Ipſéque ſalvum ab Inſania ſe reputavit, quòd vulneris expers è certamine victor diſceſſiſſet; ignarus tabificas Particulas in Os ſuum aſſumptas, Canini ſanguinis portiones eſſe; háſque quò tenuiores, eò penetrantiores eſſe. Igitur nullâ cautelâ uſus eſt, quâ Dementiam præcideret. Quid multa? Infelix ille propedièm Febre, brevíque poſteà Amentiâ captus eſt. Hactenùs ſaluti ejus recuperandæ nihil conſultum eſt. Tandem Medico detectum eſt, quàm productus longúſque fuiſſet Morbus: nec pugna ab eo celata eſt. Ille ſtatim gravia Symptomata, tempúſque

longiuſculum (in quo invaluerat Morbus) perpendens, moriturum ait, propter Halitus, quos dudùm ex ore Canis ſibi attraxerat; quódque Remedia in tempore ei non adhibita fuerant. Sanguis enim fatale vulnus acceperat, etſi corpus intactum eſſet. Nec revaleſcere potuit; quippe Corpus ejus expurgatum non fuerat, uſque dum Sanguis, pacto Veneni, corruptionem paſſus erat univerſam.

Alter ſuſtulit in ſinum & blandè demulſit Felem, quam diligebat. Iracundum autem Animal, conſuetæ Familiaritatis impatiens, Domini manum ſcalpſit, aufugítque poſt facinus foràs, nec poſteà revertit. Plurimæ de amiſsâ Fele querimoniæ editæ ſunt; nullæ de damno, quod ipſe ſuſtinuerat. Vulnus enim pro nihilo habitum eſt, adeò minutum, adeò facile curatu erat. Sanatâ manu, in aliquot dies benè valere viſus eſt. Sed tandem tanta Inſania eum invaſit, ut indolem Humanam penè exuiſſe videretur. Nunc enim Screatus, nunc alios Strepitus Felinos inſciè edebat. His Uxor totáque Familia valdè ſtupuêrunt. Sed Medicus citò tam inſoliti Eventûs rationem reperit; cùm certior factus fuiſſet, Ægrum à Fele quâdam vulneratum eſſe. Proculdubiò iſta Felis Inſaniâ laborabat.

Alioqui

Alioqui non recusâſſet Domini attrectationem, cui ſæpè anteà ſe aſſueverat; incoactáque non reliquiſſet Familiam, in quâ blandè accipi nunquam non ſolita fuerat.

Porrò ille à Fele læſus Uxorem & tres Liberos habebat. Moniti ſunt omnes, ut (ſiquo pacto poſſent) jacenti non multùm aſtarent. Nihilominùs, cum moribundus eſſet; advocata eſt Uxor, tréſque Nati, ut ultima baſia reciperent. Ad ſe enim, ante obitum, aliquantiſpèr redierat. Quódque Amicos ex integro agnoſceret, & Amoris indicia recentia præ ſe ferret; (dimiſſis in ipſo Mortis articulo, ut viſum eſt, Veſaniæ ſignis) ideò non veriti ſunt lecto Ægri aliquandiù aſſidere, dum Ille extremum Spiritum egiſſet. Atque hoc pacto, tantam malarum Exhalationum copiam recepêrunt, ut eorum Sanguis iis repellendis impar eſſet. Brevì poſteà Flammis Febrilibus arsêrunt: túmque omnes, Medici juſſu, Salo immerſi ſunt. Et ſanè ejus operâ non ſolùm à præſentibus Morbis, ſed periculo etiam Veſaniæ, integri liberati ſunt. Sin illis nulla excogitata fuiſſent Remedia, quæ Febribus initis obſtare poterant; proculdubiò conſimilem ac is, à quo infecti erant, miſeriam mortémque obiiſſent.

Forſan

Forſan aliqui exiſtiment Horum alterum contraxiſſe Inſaniam ſuam ab humiditate Unguium Felis, cùm ſcalperetur; quaſi inde Humor malus in Vulnera recentia defluxerit. Sed ut reliquorum Animalium Ungues, duritie præditi, madore vacant; ſic credere licet, Felinos non magis, quàm aliorum Ungues, Succo abundare. Adeò ut calamitatem Veſaniæ, quâ prædictus Vir afflictus eſt, tribuere omninò oporteat Exhalationibus corruptis, quas rabida Felis undique in Herum ſuum effudit. Nam in tantâ propinquitate corporum, facilè irruere potuêrunt ab alio in alium Exhalationes nocuæ. De cæteris autem Ægrotis, quorum mentionem feci, non dubitandum eſt quin prorsùs ob Vapores tabificos malè ſe habuerint: quippe vulnera, in quæ Humor intraret, nulla ſuſtinuerint ab iis, quibuſcum verſabantur. Nihilominùs æquè inſaniebant, ac ſi ſalivam, aliúmve Succum, vi inficiente præditum, in Venas ſuas recepiſſent.

Parvi quidem refert, an noſtrum Sanguinem intrent Exhalationes, an Succi Animalium Venenantium. Nam Exhalationes, Partes ſunt Sanguinis, ejúſque Succorum; imò eâdem indole præditæ, quâ iſti. Adeò ut non miremur

Homines

Homines, per Has in Sanguinem copioſè immiſſas, Inſanos factos eſſe; cùm ex minutiſſimâ veneniferæ Salivæ particulâ idem ſæpiſſimè præſtitum ſit.

Iſta Inſania, quæ venenantibus Succis vel Exhalationibus in ſanguinem illapſis acquiritur, Hydrophobia dicitur: Idque rectiſſimè. Nam homines hoc pacto dementati, opinantur Aquam (neſcio quam ob cauſam) ſibi inimicam eſſe. Et fortaſſe hæc prima cauſa fuit Immerſionis eorum in Frigidâ: quòd primo aſpectu inimica atque moleſta videretur. Remedium quidem non exiguè horrificum! Nihilominùs ut alia, quæ minimè grata videntur, ſæpiuſculè proſunt Ægrotis; ità ex hoc quoque Remedio terrifico non pauca commoda capi compertum eſt.

Ubi Salſa aqua obtineri nequit, Inſulſa melior, quàm nulla, eſt. Utravis efficit, ut Sanguis Sociíque Humores ab exterioribus Membris ad interiores Pulmonum, Jecoris, Pancreatis, Inteſtinorum, Renúmque Partes, raptim recedant; cùm quiſquam in hâc vel illâ immergitur. Taliſque eorum Receſſus alicujus momenti eſt. Etenim Humores, qui nimis quieti fortaſſe erant anteà, nunc ſedibus exturbantur.

Renibus autem plùs, quàm cæteris Viſceribus munus exonerandæ Naturæ dari videtur. Ex iis enim admodùm ſanis & perviis major, quàm è reliquis Ilium Emiſſariis, copia Liquoris ejici ſolet. Atque ut alii Liquores Corporis omninò ex materie Sanguinis formantur; ità Lotium, quod Animalibus emittitur, ex eo fit. Adeò ut, qui ſe Frigidâ lavant incorruptis Renibus, uberem facilè Urinam effundere, poſt talem Immerſionem, poſſint.

Vix porrò alitèr fieri poteſt quin, qui ſe immergunt, partem aliquam Aquæ, quâ circundantur, in Ora ſua recipiant. Atque hæc altera cauſa eſt, cur Homines, in Aquâ Frigidâ immerſi, abundantèr mictitent. Deglutitâ enim Aquâ per fauces apertas, (ſolent enim Homines patulo Ore haurire Aquam cum Aëre, quandocunque ſe ſubmergunt:) hoc pacto nova materia Renibus adjecta eſt, ex quâ Lotium fieri poteſt.

Inſulſa quidem Aqua inter immergendum deglutita, adaugendo Sanguine (qui, ut ſuprà dictum, Lotii Fons & Author indubitabilis eſt) Renibus poteſt plurimam Urinam præbere. Sed ſalſa plerumque majoris, quàm Inſulſa, efficaciæ eſt. Nam præter poteſtatem Urinæ valdè

dè ſtimulandæ, hujuſmodi Aqua aliâ majore vi prædita eſt; ſcilicèt eâ purgandi Corporis & Vomitu & Dejectionibus. Hujúſque Libra una vel duæ ſaltem, pro unicâ vice, purgandis Hominibus ſufficere ſolent. Repetatur tamen ejuſmodi Doſis (diebus quibuſdam Intermiſſis) ter quatérve, vel ſæpiùs: ſic enim uſurpata, magnoperè proderit infectis, Immerſione priùs pertentatâ.

Præutereà Salum abſtergentis naturæ eſt: Et ob hanc cauſam, ſummè idoneum ad abluendas Sordes è Vulneribus contaminatis. Novi aliquos, qui claudis gravibúſque Membris Mare adiêrunt, ſaniſſimis Artubus brevì indè reverti; poſtquàm Lavationem ſalſam ad amuſſim paſſi fuiſſent. Nam ſalſarum Particularum operâ, omnes putres Amurcæ è vulneribus ablutæ ſunt; adeò ut nihil contagii relictum eſſet, quod integram eorum medelam aut impedire aut retardare poſſet.

Sin opportunitas perfruendi Immerſionum vel Purgationum commodis (ratione ſali) omninò deſit Infectis; (id, quod non raro accidere ſolet:) iis alia Methodus adhiberi debet.

Primò oportet eos immittere ſe in Inſulſam Aquam, calore tamen penitùs carentem;

rentem; ut à Capite ad Calcem Corpora veneno tincta penitùs colluantur. Etenim hujuſmodi Lotio, aliquantulùm abſterſa & candida Infectorum Ulcera reddere ſolet. Si verò Infecti, præ timore Frigoris, tale Lavacrum intrare nolint; tum velim Emplaſtr. vel Oxycroc. vel Diachyl. cum Gum. vel Flor. Unguent. vel horum ſimilia Ulceribus applicari. Imò, ſi Ulcera inflammentur; non abs re erit, imponere ſuper Emplaſtris Cataplaſmata facta ex Farinâ Triticeâ vel Avenaceâ, cum Pulv. Rad. Serpent. vel Zedoar. vel hujuſmodi Alexipharmacorum aliquâ copiâ, commixtâ Cataplaſmatibus.

Prætereà aliquando opus eſt Emeticum, aliquando Catharticum, aliquandóque Diaphoreticum iis adhiberi.

Interim, tempore quodam à ſumendis Evacuantibus intermiſſo, expedit alia Pharmaca, quæ ad corrigendum Sanguinem plurimùm pollent, aptis Doſibus aſſumi. Atque ea, quæ in hanc rem maximè commendo, ſunt Ariſtoloch. rad. Pæon. ſem. & rad. Zedoar. rad. Cort. Vinteran. Cort. Elather. Salv. Agreſt. Myrrh. Scio enim ex his Medicamina fieri poſſe valdè utilia ad corrigendam Maſſam Sanguineam. Poſſe tamen

men ex aliis æquè utilia confici, haud nego.

Fortè in primis diebus Infectionis, nullâ præſente Nauſeâ, unicum Catharticum Infectis ſufficiet. Sin dubites unum Morbo impar eſſe, crebriùs iterari poſſunt hujuſce generis Pharmaca. Multos ſanè, qui à furiatis Animalibus morſi erant, ſanos reddi (deglutiendis ſæpè Catharticis) novi. At Cathartica, proximo die poſt Infectionem receptam, multò feliciùs adhibebuntur; quàm ſi plurimos dies, abſque Purgantium Medicinarum uſu, præterlabi ſinas. Neque enim dubites, contaminatas Particulas, quò diutiùs iis permiſſum fuerit in ſanguine manere, eò magis atque magis indies accumulatas fore. Quippe malæ Particulæ plures ſuî ſimiles è ſanguineæ Maſſæ materiâ generandi facultatem habent; ut Bonæ fingendi plures ſibi pares, ex eâdem materie, vi præditæ ſunt. Veriſimile autem eſt, Particulas Malas (copiâ earum in Sanguine non magnoperè adhùc auctâ) facillimè ejici poſſe per Catharſin non intempeſtivè adhibitam. Nam ut Particulæ Venenantes, morando diutiùs in Sanguine, vires majores acquirunt; itâ, ſtatim adhibendo Cathartico (ſimul ac ſuſpicio ſit, tabem intimiùs receptam eſſe) non

non ſolùm minuas neceſſe eſt earum vires in præſens, ſed in poſterum etiam, nè augeantur, caveas. Hoc quidem Cathartici adjumento facilè efficietur: Quia Sanguis, cùm habeat tam Catharticas quàm Venenantes Particulas ſimul expellendas; tunc temporis varia Corporis Emunctoria (per quæ tales Hoſtes ejicere licet) aperire poteſt fortiùs, quàm cùm nullum ſibi in auxilium Catharticum vocatur, quod conjunctim cum Veneno ipſum vehementiùs ſtimulet.

Auctâ Febre, & cæteris Symptomatis ingraveſcentibus, ſi porrò Infectus deliret; tum Veſicatorium moderatæ magnitudinis Capiti ejus applicari quàm commodiſſimum erit. Purgantes etiam Clyſteres (niſi Diarrhœa adſit) utiles eſſe poſſunt. Scilicèt alterum Remedium, aperiendis Pericranii Poris, Cerebrum à gravi atque importunâ ejus Sarcinâ admodùm levabit: alterum verò, deducendo ſanguine Alvum versùs, eum à glandulis Cerebri ſuffarcinandis plurimùm inhibebit. Porrò, Cerebro & Viſceribus quodammodo allevatis per Remedia prædicta; forſan tum expediet Ægrotanti, aliquod Diaphoreticum in ejus ſanguinem immitti, nec non ejuſmodi Pharmacum poſt paucos dies (ſumptis intereà Alexipharmacis) repeti.

Exteri-

Exterioribus autem Membris, quæ graviſſimè dolent, vel Cantharides vel Sanguiſugæ ſtatim adhibeantur. Horum enim operâ, dolorificæ quædam Particulæ (ſimul cum Sanguine & Humoribus) in aliquem ſaltem modum extrahi queunt: Quod Partibus laborantibus magno emolumento & levamini certè erit.

Quinimò alia ſunt Venena, quæ in Ventriculum ſumpta, graviſſimas Febres, ſimúlque cum iis, vehementes Vomitus & Dejectiones, Cruciatus univerſos, Languores, & aliquando Mortem ſubitam hominibus afferre ſolent. Jamdudùm Arſenicum, Cuprum, Aconitum, & quædam aliæ noſtrarum exterarúmque Regionum Plantæ (paſſim in Libris Botanicis evulgatæ) in hâc Claſſe collocata ſunt. Nec vulgaria Emetica & Cathartica (ſi fortè majorem in modum, quàm fas eſt, cuiquam exhibentur) minùs nocent.

Nonnullis quidem mos eſt Olei vel Tepidæ Aquæ vel Juſculi copiam exhibere illis, quibus Venenum deglutitum vomitus copioſos movet. Sed hæc (niſi exhibeantur ſimul ac Venenum ipſum hauſtum fuerit) irritando Ventriculo, Vomitionem plùs augere ſolent. Quamobrem, viribus valdè exantlatis, à talibus tunc temporis abſtinendum eſſe arbitror:

Satiúſque videtur in iſto caſu, illicò adhibere ea, quæ ad ſiſtendum Vomitum utiliſſima reperta ſunt. Quænam autem hæc ſint, jam exhibui in Tractatu, quem de Vomitione edidi.

Stomachus fortaſſe (Spaſmis & Nauſeâ ex Veneno capto adhuc manentibus) primas eorum Doſes aliquoties reſpuet & retorquebit. Neceſſe tamen eſt plures iterùm atque iterùm abſque morâ Ægrotanti exhiberi; ut Ventriculus vigorem novum acquirat, tandémque quietus factus, operoſo vomitu deſiſtat.

Sanè non pauci ex terrificis Vomitibus & Diarrhœis citò convaluêrunt, auxilio eorum Stomachicorum atque Aſtringentium, quæ jam in iſto Tractatulo præſcripſi.

Oportet autem Febrem & Languorem pellere Medicinis, quæ ex uſu eſſe ſolent in aliis Sanguinis Fervoribus Animíque Defectionibus. Sin Cephalalgia, Tormina Ventris, & ſimilia, nondum ſublata ſint; tum opus eſt Remedia in hæc Mala notiſſima (intùs & extrà) adhibere: Scilicet Externis Partibus Capitis, Ventris aut aliorum Membrorum dolore laborantium, Tincturam Opii, Anodyna Emplaſtra, Unguenta & Olea; Internîſque Partibus, Alexipharmaca anteà

collau-

collaudata: idque, quamprimùm poſſit, fiat.

Cum hoc Opus primùm ſuſcepi, haud mihi in animo fuit de Symptomatum omnium, quæ Febres creant, medelâ agere: quòd horum plurima (ut Colica, Phthiſis, Phrenitis & ſimilia) ampliores, quàm nunc mihi vacat ad plenum abſolvere, Diſquiſitiones requirant. Multorum tamen Symptomatum Curationem fidelitèr exhibui. Cætera verò aliis tractanda relinquo; qui Otio abundantes, & majore, quàm mihi vendico, Doctrinâ Peritiâque ornati, difficile Penſum haud gravatè ſuſcipere velint.

INDEX
Rerum Præcipuarum
In LIBRO
De Febribus Symptomaticis.

FRigidæ Particulæ in Sanguinem ſubitò irrumpentes, Febrium aliorúmque Morborum cauſæ ſunt. *Pag.* 2
Mutatio Aëris à Calido ad Frigidum, cauſa Febrium Epidemicarum. 3
Frigidus Aër, repentè in Sanguinem irrumpens, quaſdam ejus Particulas necat: Unde Algor, & ea in Sanguine turba, quæ dicitur Febris. 4
Incorruptarum Particularum munus eſt, expellere Corruptas. *ibid.*
Malæ æquè ac Bonæ particulæ, ex eâdem Maſsâ Sanguineâ fiunt: Aliæque earum aliis per vices præpollent. 5
Auctis malis Particulis, Sanguis turbidior; diminutis, quietior eſt. 6
Particulæ Cadaverum aliarúmque rerum corruptarum, Sanguinem intrantes, cient in eo Febres. *ibid.*

Qui Febribus laborant, eos, quibuſcum verſantur, inficere ſolent. *Pag.* 7
Exemplum duorum, qui ſe invicem Febribus inquinavêrunt. *ibid.*
Crapulæ ſæpiùs repetitæ cauſæ Febrium. 8
Supervacaneum eſt inquirere in cauſas aliarum Febrium, præter Symptomaticas. 9
Methodus medendi Febribus magis neceſſaria eſt, quàm Inquiſitio in earum cauſas. 10
Diaphoretica utilia ſunt, cùm Ecthymata vel Puſtulæ ſubſidunt. 11
Interdum, cùm Ecthymata flacceſcunt, Emeticum utile eſt; ſi quidem Stomachus phlegmate tum laboret. 12
Saburra Stomachi operam Diaphoreticorum impedit: Adhibitis autem Diaphoreticis, cùm colluvies ſtomachica ejecta eſt, homines inde meliùs ſudare queunt. 13, 14
Exemplum Pueri, qui, Diarrhœa & occaſu Variolarum penè extinctus, convaluit, Diaphoreticis cum Aſtringentibus ſumendis. 15
Stomachus exonerandus eſt, ut Medicamina Antifebritica plùs Sanguini proſint. 16
Diaphoretica omnia calidè ſumi debent, quò faciliùs Sudorem excitent. 19
Dolores in quâvis Corporis parte orti, cauſæ Febrium nonnunquam ſunt. 20
Emplaſtra, Cataplaſmata, Hirudines, Scarificationes, Veſicatoria, dolores minuunt. *ibid.*
Tumore diutiùs permanente, Inciſio in Cutem Carnémque commendatur; etſi nulla in eo Caverna adhùc formata eſt. 21
Podagra ſanabilis, & quomodo. 24

Exemplum cujuſdam Podagrici Lapillis Cretaceis laborantis, qui (applicatis tam Externis quàm Internis Remediis) in multos annos poſteà meliùs ſe habuit. *Pag.* 24
Adoleſcentis, qui (Lue Venereâ infectus) Teſticulis tumefactis laboravit, éxque eorum dolore Febrem paſſus eſt, curatio exhibetur. 25
Interni Dolores, æquè ac Externi, cauſæ Febrium. 26
Dolores tollendi priùs, quàm Febres. *ibid.*
Quædam Animalia veneniferâ vi prædita vulnerando homines, in periculoſas Febres eos nonnunquam conjiciunt. 27
A rabidis Animalibus, alia Animalia infici poſſunt. 28
Halitus Rabioſorum Animalium venefici ſunt. 29
Exempla quædam Hominum Halitu ſolo infectorum. 30
Hydrophobiæ curatio. 33
Immerſio in Salo ad curandam eam Inſaniam, quæ Morſibus veneniferis exoritur, laudatur. 34, 35
Immerſio in Frigidâ, quòd Urinam ſtimulet, Infectis prodeſſe poteſt. 36
Alia, præter Immerſionem in Salo vel Frigidâ, Methodus commendatur, ad curandos Infectos. *ibid.*
Catharticum, cùm primò quiſquam inficitur, adhibendum. 37
Vomitiones, ſi poſt Venenum aſſumptum nimis frequentes ſint, compeſcendæ potiùs, quàm ſtimulandæ. 39

BOOKS printed for Bernard Lintot.

1. DE Vomitione, ejuſque exceſſu curando; nec non de Emeticis Medicamentis. De Purgatione ejuſque exceſſu curando. Nec non de Catharticis. De Variolis & Morbillis. Authore Samuele Dwight. *Price* 1 *s.* 6 *d.*

2. De Hydropibus, deque Medicamentis ad eos utilibus expellendos, nec non de commodiſſima Methodo utendi remediis Anti-hydropicis. Authore Samuele Dwight, M. D. *Pr.* 1 *s.*

3. A Practical Method, as uſed for the Cure of the Plague in *London* 1665. By Sir *Charles Scarborough*, Knt. Phyſician to his Royal Highneſs the Duke of *York*. With ſome Remarks on the preſent Plague of *France*. *Pr.* 1 *s.*

4. The Practice of Phyſick reduced to the antient Way of Obſervations: Containing a juſt Parallel between the Wiſdom and Experience of the Ancients, and the Hypotheſis of modern Phyſicians: Intermix'd with many practical Remarks upon moſt Diſtempers. Together with ſeveral new and curious Diſſertations, particularly on the Tarantula, and the Nature of its Poiſon. Of the Uſe and Abuſe of Bliſtering-Plaiſters. Of Epidemical Apoplexies, *&c.* Written in *Latin* by *George Baglivi*, M. D. Profeſſor of Phyſick and Anatomy at *Rome*. *Pr.* 5 *s.*

5. Ophthalmography: or, A Treatiſe of the Eye. Part I. Containing an exact Deſcripti-

on of the Eye; as alſo the Theory of the Viſion conſider'd, with its Diſeaſes. Part II. Containing the Signs, Cauſes, and Cure of the Maladies incident to the Eye. To which is added, An Appendix of ſome of the Ear; wherein is conſider'd the Communication between theſe two Organs. *Pr.* 2 *s.*

6. A ſhort Treatiſe of the Small-Pox and Meaſles: Shewing how People may have but a few, and the Marks obliterated; as how others may eſcape having them, tho' in the utmoſt Danger of catching them. *Pr.* 1 *s.*

7. The Practical Diſtiller; or, A brief Treatiſe of Practical Diſtillation. In which the Doctrine of Fermentation is methodically explain'd in a new Method. With the Deſcription of a new Engine-Still engrav'd on a Copper-Plate, which, for Diſpatch of Buſineſs, is preferable to any other. To which is added, by way of Appendix, a Treatiſe to make artificial Wines from ſeveral Fruits of the *Engliſh* Production; interſperſed with many uſeful Reflections and Obſervations. *Pr.* 1 *s.*

8. A Compleat Body of Diſtilling, explaining the Myſteries of that Science in a moſt eaſy and familiar manner: Containing an exact and accurate Method of making all the Compound Cordial-Waters now in Uſe, with a particular Account of their ſeveral Virtues. As alſo a Directory, conſiſting of all the Inſtructions neceſſary for learning the Diſtillers Art; with a Computation of the original Coſt of the ſeveral Ingredients, and the Profits ariſing in Sale. Adapted no leſs to the Uſe of private Fami-

Families, than of Apothecaries and Diſtillers. In two Parts. By *George Smith* of *Kendal* in *Weſtmoreland*. *Pr.* 2 *s.* 6 *d.*

9. *England*'s Neweſt Way in all Sorts of Cookery, Paſtry, and all Pickles that be fit to be uſed: Adorn'd with Copper Plates, ſetting forth the Manner of placing Diſhes on Tables; and the neweſt Faſhion of Mince-Pies. By *Henry Howard*, Free Cook of *London*. To which are added, the beſt Receipts for making Cakes, Mackroons, Biskets, Ginger-bread, French-bread; as alſo for Preſerving, Conſerving, Candying, and Drying Fruits, Confectioning, and making of Creams, Syllabubs, and Marmalades of ſeveral Sorts; likewiſe Additions of beautifying Waters, and other Curioſities: As alſo above fifty new Receipts are added, which renders the whole Work compleat. The fifth Edition. *Pr.* 2 *s.* 6 *d.*

10. An Eſſay on Money and Bullion, wherein are contain'd Value intrinſick and extrinſick. Money and Bullion compared. Mr. *Locke*'s Conſideration concerning the raiſing the Value of our Coin, as well Gold as Silver. *Pr.* 6 *d.*

11. An Introduction to the New Aſtronomy; or, Aſtronomical Lectures read in the Aſtronomical School of the Univerſity of *Oxford*. By *John Keil*, M. D. Fellow of the Royal Society, and Profeſſor of Aſtronomy in that Univerſity. The Sheets from the Preſs were corrected by Dr. *Halley*. Twenty-ſeven Schemes, engrav'd on Copper, are added to this Work. *Pr.* 6 *s.*